

ARCTOS

ACTA PHILOLOGICA FENNICA

NOVA SERIES

VOL. V

HELSINKI 1967 HELSINGFORS

INDEX

Leiv Amundsen	Horace, Carm. I. 3.	7
Gerhard Bendz	Par similisque	23
Eric Berggren	A new approach to the closing centuries of Etruscan history: A team-work project	29
Axel Boethius	Nota sul tempio capitolino e su Vitruvio III, 3. 5.	45
Patrick Bruun	The foedus Gabinum	51
Iiro Kajanto	Contributions to Latin morphology	67
Heikki Koskenniemi	Epistula Sarapammonis P.S.I. 1412 particula aucta	79
Saara Lilja	Indebtedness to Hecataeus in Herodotus II 70—71	85
Georg Luck	Die Schrift vom Erhabenen und ihr Verfasser . .	97
Dag Norberg	Le début de l'hymnologie latine en l'honneur des saints	115
Jaakko Suolahti	The origin of the story about the first Marathon-runner	127
J. Svennung	Zur Textkritik des Apologeticus Orosii	135
Holger Thesleff	Stimmungsmalerei oder Burleske? Der Stil von Plat. Phaidr. 230 bc und seine Funktion	141
Rolf Westman	Zur Kenntnis der ältesten Handschrift von Ciceros Orator	157
Erik Wistrand	On the problem of Catalepton 3	169
Heikki Solin	Bibliographie von Henrik Ziliacus	177

EPISTULA SARAPAMMONIS P.S.I. 1412
PARTICULA AUCTA

Heikki Koskenniemi

Perscrutantibus Florentiae in Instituto papyrologico, quod a HIERONYMO VITELLI nomen dicit, viris doctis copiam chartarum nondum editarum nuper emersit frustum, quod partem epistulae in volumine XIV Papyrorum Societatis Italianae¹ ordinali numero 1412 publici iuris factae agnoverunt. Quam papyrum cum quondam primus examinavisse edendamque curavisse,² vir doctissimus VITTORIO BARTOLETTI — cuius obitu praematuero nunc gravi luctu affecti dolemus — qua erat comitate, mihi particulam novam misit, ut si vellem corpori epistulae editione facta reddendam curarem.

Frustum ad corpus epistulae praecedens optime quadrat eademque manu in eo scriptor sine dubio idem, qui superiores lineas exaraverat, de iisdem fere rebus referre pergit. Quae hoc modo adduntur, epistulam septem vel octo lineis ampliorem reddunt. Cum enim e linea 16 antea nihil nisi verba *ταῦτα γὰρ* habuerimus, nunc textus inde usque ad l. 23 extenditur. Nihilo minus epistula etiam parte restituta mutila remanet initio uniuscuiusque lineae novae deficiente. Ab altera parte frustum, quo suppletur epistula, amplius quidem est praebaretque forsitan plures lineas conscriptas, quarum vestigia etiam nunc in imagine partim videmus, nisi detractae essent de charta fibrae superiores secundum scripturam currentes, quarum naturam horrentium seque charta exsolventium etiam nunc imago in margine sinistra superioris partis ostendit.

Epistula Sarapammonis inter ceteras sescentas fere generis hoc eminent, quod in extera terra scripta dataque in Aegyptum pervenit. Oxyrhynchi repartam mentio Antiochiae in linea 8/9 facta a viro peregrinante in Syria conscriptam esse ostendit. Mater Sarapammonis Oxyrhynchi habitat

¹ Papiri greci e latini, vol. XIV a cura di V. BARTOLETTI, Firenze 1957.

² Aegyptus 33 1953 322–324, Milano 1954. Quae hic quaeque in volumine P.S.I. XIV p. 117–118 de charta textu aliis rebus commemorata sunt, non est cur hic repetam.

una cum Didyma, de qua parum appareat, quis sit. Patris mentio in l. 18 ita fit, ut eum cum feminis non esse suspicemur. Epistulam quidem habemus eius generis, quae inter homines eiusdem familiae mitti solent.

Cum de certamine agat Sarapammon idemque pecunias haud parvas domum mittat, eum athletae artem factitatem peregre circumvehi conieci. Quod a viris doctis probatum postea v.d. LUIGI MORETTI porro ita explicavit, ut Sarapammonem Olympionica circumvehi conieci. Quod a viris doctis probatum postea v.d. LUIGI MORETTI porro ita explicavit, ut Sarapammonem Olympionica faciat.¹ Qua in re praecipuo argumento nititur duobus locis, qui in papyris Oxyrhynchi excavatis reperiuntur et in quibus Aurelius Sarapammon quidam Olympionices (P.S.I. 456 [a. 276/282^p]: *Αὐρηλίου Σαραπάμμωνος Ὀλυμπιονίκον πα[ραδόξον κτλ.]*) vel periodonices (P. Oxy. 1643² [a. 298^p]: [*Αὐρήλ(ιος) Σαραπάμμων ὁ καὶ [Δ]ίδυμος — — π[ερι]οδονίκης υράτιστος*) vocatur. Credit nunc MORETTI Sarapammonem nostrum eundem esse atque hunc, cuius nomen in his locis papyrorum occurrit, quod eiusdem nominis sit, quod eodem fere tempore, saeculo III post Chr. n. (quod ad papyrus P.S.I. 1412 attinet, tamen scripturae natura sola tempus, quo conscripta sit, testante) et in eadem civitate Oxyrhynchitarum vixerit, denique quod peregre certaminibus interfuerit. Quin etiam genus certaminis, de quo in epistula narrat Sarapammon, coniectura assecutus eum ad pulverem Olympiorum Antiochensium colligendum properantem facit.

Mea sententia nihil obstat, quominus duos locos P.S.I. 456 et P. Oxy. 1643 ad unum atque eundem Sarapammonem spectare cogitemus, ab Olympionica periodonica factum. Immo veri simile est non duos athletas eiusdem nominis summam gloriam in arte sua assecutos tam angusto temporis spatio eodem loco exstitisse, sed de uno agi. Sed ut paratus sim ad hanc rationem probandam, ita cautus fuerim, cum de Sarapammone ut ita dixerim tertio (P.S.I. 1412) agitur.

Antequam decidimus, fueritne Sarapammon noster Olympionices an non, aliquae res nobis observvandae sunt. In papyro nostra nihil legimus nisi: *]παμμων ολυμπι. [.....]δια [μον μ]ητροι.* Lacunas, quibus deformata est charta, MORETTI ita supplendas esse coniecit: *[Σαρα]πάμμων ὀλυμπιο[ν(ίκης) τῆς ι]δια [μον μ]ητροι.* Primum igitur nomen proprium matris in epistula legi non

¹ L. MORETTI, Note egittologiche, 1. Nota a P.S.I. 1412, Aegyptus 38 1958 199–203. De quibusdam rebus palaeographicis se virum d. V. BARBOLETTI litterarum commercio consuluisse narrat.


² Haec papyrus mandatum est Sarapammonis ad hominem quendam missum praebetque in extrema charta verba manu ipsius negotium deferentis scripta. Si igitur epistulam nostram P.S.I. 1412 integrum haberemus, etsi manu aliena conscriptam tamen secundum consuetudinem manu propria Sarapammonis conclusam, haec duo documenta inter se comparando haud dubie rem dijudicaremus.

vult. Quod rarius est, sed non inusitatum. Deinde, quod maioris momenti est, Sarapammonem se ipsum Olympionicam epistulae praescripsisse putat. Tamen notandum est veteres, cum privatas litteras dabant, suo nomini statum ac dignitatem adicere non solitos esse. Quod ut in epistulis publicis a magistratibus missis vulgo usu venit, ita privato litterarum commercio alienissimum est. In maxima copia epistularum privatarum, quantum percurrere potui, non amplius duo exempla mihi innotuerunt, scilicet P. Lond. III 982 (p. 242) [saec. IV^p] et P. Fouad I 80 [IV^p]. Sed illa, in qua legimus [$\tau\tilde{\omega}$ δ]εσπότη μον καὶ πάτρων Ἐρμίνω [στρ]ατεύοντι Ἀπόλλων ναολέκτης χαίρειν, a tironne iuvene patrono militari data est caditque epistula ultra genus litterarum familiarium proprie sic dictarum. At haec epistula, verbis κνοίᾳ μον μητρὶ καὶ ἀδελφοῖς Εὐδαίμων ὁ ἵστρος εῦ πρόττειν incipiens ab eruditissimo homine conscripta eademque admodum peculiaris nobis alterum exemplum praebet. Praeter has binas litteras privatas, in quibus is qui epistulam dat in praescripto semet ipsum tironem medicumve indicat, nullas repperi neque vero multas eiusdem generis reperiri posse persuasum habeo, confirmarique potius his exceptionibus regulam crediderim. Sequitur ut ex epistula nostra P.S.I. 1412 vix erui possit Sarapammonem Olympionicam fuisse. Itaque si caute lacunam supplebimus, nomen Olympionicae contra consuetudinem repugnans excludemus.

Sed maior vis argumentorum viri docti MORETTI forte posita est in rebus extra epistulam evidentibus. Mirum ei videtur una in civitate plures viros eiusdem nominis palmas in certaminibus captavisse. Itaque concludit de uno agi. Qua in re mea sententia non necesse est eum sequi. Si quo loco quidam viri palmas in certaminibus acceperunt, fieri solet ut ibidem pluribus hac via clarum fieri placeat. Itaque athletarum numerum parvum Oxyrhynchi credere necesse non est. Ab altera parte nomen ipsum Sarapammonis admodum commune Oxyrhynchi fuisse papyri ibi repertae docent. Praesertim cum non sit arte fixum temporis spatium quo conscripta sit P.S.I 1412 (saec. II—III!), vix iure infitiemur alterum Sarapammonem Oxyrhynchi fuisse posse, quamvis non Olympionicam, at tamen athletam satis strenuum.

His adversariis criticis prolati negare haudquaquam volui Sarapammonem nostrum Olympionicam fuisse posse. Tamen propter quaedam mea sententia ei rei obstantia id non temere credendum sed rem potius ad incertum revocandam censui.

Quae supra proposui, etiam sine augmento novae particulae nostrae aestimari possunt. Ceterum novum fragmentum chartae non multum lucis ad vitae



condicionem Sarapammonis illustrandam profert. Quaedam res indicantur, de quibus patrem Sarapammonis certiorem fieri interest (l. 18—20). Insuper de Syra l. 20 loquitur, femina sine dubio aliqua originis Syrae, sive nomen appellativum sive proprium esse volumus, quod de rebus Syriacis adiectivum *Συριακός* occurrit. Si verba *πεμ]φθέντων γραμ[μάτων* cum sententia, cuius δ ι πατήρ subiectum est, ut videtur, cohaerent, novum enuntiatum media in l. 20 verbis *Περὶ τῆς Σύρας* incipiens habemus, quo Sarapammon vim verbis addit declarans, quid Syrae fieri veli. In l. 22 ἀνεξασθ [pro infinitivo futuri intellegere possumus littera α ante -σθαι posita non obstante, quod iam aetate Lagidarum in sermone vulgari formae in -ασθαι et -εσθαι desinentes confunduntur.¹ Hoc

¹ Vide E. MAYSER, Grammatik der griechischen Papyri der Ptolemäerzeit I: 2² p. 164.

verbo, quod in genere medio vim ferendi vel patiendi habet, Sarapammon suos (vel suas) cohortatur, ut Syram ($\alpha\dot{\nu}\tau\eta\varsigma$), quae ei cordi est, patienter ferant. Imaginari possumus Sarapammonem non solum certamina sed etiam alias res in Syria gessisse. Sed haec iam arbitraria atque incertissima.

In novis lineis Sarapammon tertium se pecunias misisse dicit. Cui hi decem aurei commissi sint, non liquet nomine in lacuna latente. Omnes pecunias a se missas accurate enumerat, ut sui rationem excipiendi habeant. Ion frater qui epistulam Sarapammoni ab Aegypto portaverat (l. 5) cum quinquaginta aureis ab eo datis domum redditurus est. Sotam, per quem duo talenta transiguntur, potius trapezitam fingimus, apud quem depositae hae maiores pecuniae in natura, ut dicunt, accipi possunt. Verba $\pi\alpha\varrho'$ $\alpha\dot{\nu}\tau\omega\tilde{\nu}$ l. 13/14 igitur ad Sotam pertinere censeo, qui non ut Ion in itinere esse dicitur.¹ Quamquam Ion vix frater proprie vocatur ita, ut consanguineus fuerit Sarapammonis, non est cur eum negotiatorem faciamus. Minorem pecuniam apportans praesentem matri Sarapammonis facile numerare potuit. De duobus talentis autem et Sarapammoni et matri maior quaestio fuit, ubi et quo modo accipiantur.

— — —

In textu novae particulae constituendo VITTORIO BAROLETTI, vir chartarum legendarum peritissimus, mihi amice subvenit lectiones quas proposueram ad papyrus conferendo et examinando. Pro quo auxilio gratias ei debitas solum apud alios confiteri dolori est.

Textus

Oxyrhynchus	(cm 13 × 12)	Saec. II—III ^p
-------------	--------------	---------------------------

[Σαρα]πάμμων Ὁλυμπιά[δι τῇ ἵ]δίᾳ
 [μον μ]ητρὶ καὶ Διδύμῃ καλ[.]. πλῖ-
 στα χαίρειν. Γινώσκων ὑμ[ᾶς θέλω] ὅτι
 μέχρι τούτου ὀλόκληρο[ς εἰμι. ἔ]λα-
 5 βον δὲ ἀπὸ Ἱωνος τοῦ ἀδελφ[οῦ γ]ράμ-
 ματα καὶ ἔγνων τὰ περὶ ὑμ[ῶν. μ]ὴ οὖν
 ἀγωνιᾶτε. μέχρι γὰρ τούτ[ον οὐπ]ω ἥλ-
 θαμεν διὰ τὸν ἀγῶνα τὸν [ἐν Ἀγ]ντι-
 οχείᾳ, μεθ' ὃν ἐλευσόμεθα. [διεπ]εμψά-

¹ Aliter cogitat editor P.S.I. XIV p. 118.

ιο μην σοι δι<ὰ> Σώτον τοῦ χρησια[.] τάλαν-
τα δύο καὶ διὰ Ἰωνος πεντήκ[οντα] χρυσᾶ.
ἔὰν οὖν θέλησ {ἔὰν οὖν θέλησ} [ἔστ]ιν παρ'
αὐτοῦ ἢ ἐν σίτῳ ἢ ἐν οἴνῳ λα[βεῖν· π]αρὰ γὰρ
τὴν παρά συ τιμήν συ διδι· κα[ὶ γὰ]ρ οὕτως
ι5 αὐτῷ συννεθέμην. διεπεμψάμην δέ σοι
[διὰ]ν δέκα χρυσᾶ. ταῦτα γὰρ
[ἔδωκα α]ὐτῷ. εἰ γὰρ ἔτι εἶχον ἐπεμ-
[ψάμην . . .].ε. δ πατήρ μου ἔγνω περὶ
[. . . . διὰ τῶν πεμ]φθέντων γραμ-
20 [μάτων.]. περὶ τῆς Σύρας καὶ
[πρότερον ἔγραψα καὶ νῦν δὲ γράφω[
[ὅτι αὐτῆς ἀνέξασθ.]]
[]σεηπ]

— — —

1. *ολυμπιο[* et *ολυμπιω[* aequa possibilia praeter *ολυμπια[* 2. 1. *πλεῖστα*
3. 1. *Γιωσκειν* 14. 1. bis *σοι;* 1. sive *διδῖ* (= *διδοῖ*) sive *δίδι* (= *δίδει*)
18. *ἐκεῖ]σε?* 21. *γράφω* ultima littera incertissima 22. *ο* vel *ϑ*, post quod sive
vestigia litterae sive spatium vacuum relictum

VERSIO

Sarapammon Olympiadi matri et Didymae — — — salutem plurimam dicit. Certiores vos facio me adhuc salvum esse. Litteris per Ionem acceptis res vestras comperi. Ne sollicitae fueritis! Adhuc non advenimus propter certamen Antiochense, post quod veniemus. Per Sotam — — — duo talenta tibi misi itemque per Ionem quinquaginta aureos. Si vis, aut in grano aut in vino apud illum accipies. Quanti apud te constant, dabit; sic enim inter nos convenit. Per — — — decem aureos misi, quos ei mandavi. Si quid amplius habebam (ad vos?) misi. Pater meus litteris missis certior factus est — — —. De Syra iam antea scripsi et nunc scribo — — —